

V f
248



Qh.



Qh. 31,4.



ORATIO
 IN ILLUSTRISSIMI,
 & Celsiss. Principis ac Domini
 DN. JOHANNIS
 PHILIPPI, Ducis
 Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Bergae,
 Landgravii Thuringiae, Marchionis Mis-
 niae, Comitis Marchae & Ravenspurgi, Domini
 Ravensteinii, &c. honorem, cum felicissimis auspiciis
 rem adiret publicam, summâ cum animi subjectione
 scripta, & in Academiâ Jenensi die 14.
 Aprilis, A. O. R. 1618.
 recitata,

â
 WOLFGANGO HEIDERO M.
 JENÆ
 LITERIS WEIDNERIANIS.



BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)





Illustrissimo Principi ac Domino,

Dn. JOHANNI-PHILIPPO,
Duci Saxoniae, Iuliae, Cliviae,
& Bergae, Landgravio Thuringiae, Mar-
chioni Misniae, Comiti Marchae & Ravenspurgi,
Domino Ravensteinii, Domino suo
Clementissimo.



Illustrissime

Princeps, Domine
Clementissime: olim qui-
dem Athenis in Senatu
Areopagitico, si qui verba
faceret, aut sine Procœmiis,
& ciendorum affectuum
conatibus suam dicere
causam, aut prorsum sile-
re jubebantur: sed aliud

*Lucian. in
Anachars.*

nobiscum & juris & moris esse cœpit, quâ libertate non
sum animi dubius, quin & mihi T. ad Celsit. affectanti
viam uti jam liceat. Bonus Princeps, qui amans est
patriæ, & peritus rei cum per se, tum per alios benè ge-
rendæ, & alienus ab omni vi & fraude, secundum leges

A 2

divinas,

D E D I C A T I O.

divinas & humanas, salutis publicæ & privatæ causâ subditis volentibus clementer imperat, & hoc summo agit opere: suos ut cives verâ pietate religiosos, & devotos, seriâ virtute honestos & morigeros, eleganti humanitate benignos & officiosos, omni artium genere politos & excultos, corporibus decoris sanos & expeditos opibus honestè partis locupletes, & copiosos, pace diuturnâ quietos & tranquillos, fide ac defensione certâ tutos & securos efficiat: & hanc quidem *ἀνδραγαθία* & omnium affluentiam bonorum refert ad solius DEI honorem, & gloriam, quam ultimam habet sui curriculi metam, & finem suorum, quæ capere solet consiliorum. Hoc verò Principe nihil melius in his vivit terris, nihil hominum generi salutaris, nihil auctoritate præstantibus, nihil apud & suos & externos amabilius, nihil in parvis quoque Curibus opulentius, nihil dum est in rebus humanis honoratius, nihil si ad illud cæleste politeuma transeat, quæ *ἡ βεβαίη* certissima, desiderabilius & gloriosius. Et hoc ipsum quidnam aliud esse dicemus? quam DEUM regem illum summum, qui totus oculus est, cum videat omnia, totus manus, cum operetur omnia, & officii majestate representare, & sapientiâ referre, & bonitate assimilare, & potentiâ exprimere: sed ita tamen, ut saltem faculam ingentem ad flammam, seu potius immensum ad incendium (quid enim homines sumus ad DEUM?) conferri meminerimus. Hujusmodi Principem si DEUS Reip. quam servatam, & auctam cupit, largiatur: nemo bonorum est civiû, qui ejus pro salute assiduas effundere preces, & opes expendere suas, si opus sit, & ipsum quoque

Virgil. 6.
Æn.

Aug. sup.
Psal. 120.

DEDICATIO.

que profundere sanguinem, & vitam dubitet, vereatur, recuset. Et hic quidem mutuus amor inter Magistratus & Subditos omnes & imperandi molestias allevat, & parendi difficultates mitigat, & utriusque muneris amarorem instar mellis Attici edulcat.

Cum itaque, Princeps Illustrissime, te quoque horum in magnatum numero, quorum vigilantia populi somnos, labor ocium, industria delitias, occupatio vacationem defendit, certe futurum esse colligamus, & ex indole optimâ, & educatione honestissimâ, & multis tuarum è virtutum radius, quibus passim cælum nostrum albescere jam, & purpurascere incipit: jure meritoque nobis, & omnibus his provinciis, totiq; viciniae gratulamur de tuo, cujus initium facis imperio, neque dubitamus, quin toti patriæ magno simul & præsidio, & solatio, & honori multos per annos, quod cupidissime precamur, sis futurus. Deinde verò, cum ad primordia tuæ gubernationis læticiâ & plausu totius populi fremerent, & personarent omnia: mearum quoq; partium esse putavi, ex meo prodire doliolo, & hac oratiunculâ, quæ ab animo T. C. subjectissimo profecta, quamvis nec generis, nec officii, nec virtutum tuarum æquare possit amplitudinem, paucis ostendere: quantâ cum gratulatione Academia nostra tuum principatum excipiat, quibus incedat gaudiis, quam felicitatem animo præcipiat suo, & firmiter sibi despondeat. Hujus operæ pauculas, T. C. jam inscribo, affero, & offero pagellas, summisq; precibus contendo: ut hoc non tam munusculum, quàm debitum chartaceum, argumento magnum, conaru præclarum, sed

*Senec. in
consol. ad
Polyb.*

DEDICATIO.

successu leviculum, eo vultu suscipias: quo cum ante quadriennium ad nos Jenam diverteres, me primò tum visum, dubio procul bonorum ad viros, qui nunquam à latere tuo discedunt, commendationes, & immerentem aspiciebas, & trepidantem compellabas, h. e. miti, placido, benigno, & propè, nisi hoc nimium esset in tanto Principe erga pannosum & strigosum scholasticum familiari, & amico. Hoc gratiæ si abs T. C. impetraro: multum animi bonis addes literulis, quas deinceps & Patronus clientulas, & ductor pedisequas, & bonus tutor pupillas habiturus es: sed tamen honestas ac generosas, & nec in ambiendis beneficiis invereundas & audaculas, nec in accipiendis præcipites, & sordidas, nec in æstimandis simplices & stupidas, nec in prædicandis elingues & mutas, nec in remetiendis, quantum ejus fieri potest, immemores & ingratas.

Vive diutissimè Princeps optime, & cum ab animo, tum à corpore vale quàm rectissimè: ora frequenter & ardentè, labora alacriter & constanter, tolera, quæ ferenda, patienter & quietè, spera hilariter & indefessè: quam pietatis, & magnanimitatis cathenam nulla vis aut fortunæ sequioris laxare, aut hominum improborum scindere, aut malorum geniorum rumpere poterit. Dabantur Jenæ Thuringorum, die 12. Julii, A. O. R. 1618.

T. C.

Subjectissimus

Wolfgangus Heider M.

Program.


Programma publicum.

Benevolo Lectori S. P. D.

CRas ubi solis equi Pyroëis, Eous, & Æthon
Atque Phlegon referent nonam felicibus horam
Auspiciis, nebulasq; leves, nubesq; fugarint,
Implerintq; suis pavidas hinnitibus auras:
Magne tibi Princeps, & honore PHILIPPE JOHANNES
Saxonie Princeps, nostræ spes altera Romæ,
Gratabor patriæ moderamina libera terræ,
Et solium gemmis, puroq; nitens elephanto.
Et placidos votis superos, quibus omnia cura,
Sollicitabo meis: ut non nisi flamina cœptis
Adspirent meliora tuis, ventosq; secundos.
Quæ bona cunq;, DEUS plantat: quæ nata benigno
Imbre rigat, tribulosq; vigil lappasq; colonus
Falce premit, vulsisq; malas radicibus herbas
Elidig; facit, segetiq; dat incrementum.
Vos ô Salani proceres, civesq; Lycei,
Teq; sacram castis pubem, mea gaudia, Musis,
Vos ego vos omnes tanti rogo propter honorem
Principis, egregi Juvenis, quo Saxonis ora
Latatur, Rhenusq; pater, quo Julia tellus,
Austriacæq; domus series se jactat alumno,
Ut cupidas, quæcunq; DEUS mihi suggerit auctor,
Temporis ad spacium breve demittatis in aures,
Et celo vitamq; Ducis, certamq; salutem
Assiduâ mecum prece commendetis. Habebit
Nec sibi Cambysen, neq; natio nostra Darium.
Institor & quæstor fuit hic, fuit ille tyrannus,
Sed blandi similem Cyri, patriæq; Parentem,
Et clypeum, gladiumq; suis. DEUS omina firmes.
Haud ego sum vestri, dum Spiritus hos reget artus,
Immemor officii, pia numina juro, futurus.

P. P. die 13. Aprilis, A. O. R. 1618.

Wolfgangus Heider M.



Wolfgang Heide
A. O. 1718



O R A T I O.

Prooemium & partitio.



um hoc

ipso tempore,
quod felix & faustum
jubeat esse DEUS,
ille Rex Regum, &
Dominus Dominan-

tium, qui humilia tollit, & excelsa deprimit,
Magnifice Domine Prorektor, Viri Reve-
rendi, Amplissimi, Clarissimi, & vos cæ-
teri, qui adestis, auditores Nobilissimi,
optimi, lectissimi, cum hoc ipso, quod di-
xi, tempore, Illustrissimus Princeps ac Do-
minus, Dn. JOHANNES PHILIPPUS,
Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, ac Bergae,
Landgravius Thuringiae, Marchio Milniae,
Comes Marchae & Ravenspurgi, Domi-

*1. Tim. 6.
Laert. in
Cbilone.
Luc. 1.*

B

nus

O R A T I O

nus Ravensteinii, Dominus noster Clementissimus, rem capeffat publicam, & patrias avitasque provincias ipse moderari jam feliciter incipiat: quidnā consilii nos Academici, qui sub ipsius quoq; Celsitud: imperio vitam acturi sumus deinceps, & quietè literis, uti speramus, sine ullis malorum lituris operam navaturi, capiendum nobis esse dicemus? quid boni ominis causâ rei auspicatoris agendum? quâ lætitiâ perfruemur, quib. gaudiis exultabimus, quâ hilaritate gestiemus, quâ voluptate quasi inebriabimur? Ubique locorum ferè moris est, ut Principes novelli, si jam ad Reipublicæ clavum admoveantur, armatis civium cohortibus, & volitantibus in aëre signis, ut horrendis machinarum bellicarum tonitruis, ut arcuū triumphalium spectaculis, picturis, statuis, & sigillis, ut ærumentorum sonitu in ædium sacrarum, speculis, ut epulis & conviviis plusquam

Salia-

O R A T I O .

Saliaribus, ut munerum & pomparum quasi ferculis honorificis excipiantur. At verò nihil horum commodè à nobis fieri potest, qui non tantùm locorum spaciis ab aulâ nostri Principis longè disiuncti sumus, sed etiam pauperis horti custodes, neque claudum illum & loripedem Plutum unquam ad nos dive tentem vidimus. Et illud vitæ scholasticæ ocium est, quod nobis & nomen fecit, illa quies & animorum tranquillitas, à quo statu *ἡσυχίαν* Græci dixerunt, illa nostri ordinis frugalitas, in iis qui verè literati sunt, illa armorum inscitia ferè, & omnis apparatus inopia, ut horum aliquid si conari velimus, in nos haud injuriâ dici possint illa vetera: ne sutor ultra crepidam ascende, ne faber ultra mal' eum loquere, ne noctua cum aquilâ, cancer cum lepore, hinnulus cum leone certamen contrahe.

Interim verò ut nos quoque Scholastici Principi nostro aliquid habeamus hono



ORATIO.

Ælian.
l. 1. var.
histor.
Laert.
l. 1.

Ovid. 1.
Fast.

ris, & Persarum in morem Xenoli affera-
mus, per occasionē hujus temporis, quam
Pittacus jubet noscere, hoc triplici pru-
dentia, quæ cum Jano respicit præterita,
inspicit præsentia, & futura prospicit, offi-
cio fungemur: quod à nobis quidem fieri
aliâ ratione facilius haud poterit, quàm si
hac in mutatione Reipublicæ, quæ omni
vacat periculo, & DEO, qui nostram ha-
ctenus orbitatem benignè solatus est, & Se-
renis. ac Celsis. Principibus, ac Ducibus,
& Electoribus Saxonæ, *Christiano II. &*
Iohanni, qui jam apud superos agunt æ-
vum, & in primis quidem *Iohanni-Georgio*
Septemviro, qui rerū nunc potitur, & uti-
nam potiatur diutissimè, pro summâ tute-
læ, quam gesserunt, integritate gratias im-
mortales agamus: tum verò Illustrissimo
Principi ac Domino, *D. Iohanni-Philippo*,

Duci

O R A T I O.

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Bergae &c.
qui jam lætissimis auspiciis Parenti omni
laudum genere cumulatissimo *Dn. Fride-
rico VVilhelmo, Proelectori* quondam, &
Duci Saxoniae, felicissimæ recordationis,
harum in gubernatione regionum succe-
dit, gratulemur hunc propè summum in
Republicâ locum: & denique precemur
à DEO, ut tantæ dignitatis fastigium per
annos plusquàm octingentos, ab usque
Caroli Magni, & VVittekindi tempori-
bus serie continuâ nostros in Principes ve-
luti propagatum, ipse fortunet, sospitet,
& secundet, & cum sibi honori, tum Ec-
clesiæ salutis, patriæ incolumitati, & toti
familiaë sempiternæ gloriæ esse patiatur.

Hæc per orationis meæ capita
dum ordine ad usque finem ultimum, &
metam opellæ meæ lentâ festinatione,
quæ maximè probatur Augusto, dela-
bor, à vobis peto, auditores, ut vestro me

*Sveton.
in Aug.*

B 3

anime-

ORATIO.

animæ silentio, attentione juvetis, æquitate subleuetis, & approbatione denique provehatis ad exitum usq; mei, quod jam mihi explicandum sumsi, argumenti. Hoc si lubentes volentesque feceritis, non tam id in meam, quis enim ego sum? quam in Illustrissimi Principis nostri gratiam à vobis ita factum esse & certò persuasum habebò, & omnes apud bonos viros attestabor, & inter illos, quibus ruta Saxonica voluptati est, & cum alimento tum remedio, semper dum vivere mihi licuerit, prædicabo.

Gratiarum actio ad

DEUM.

αρεσκασια.

Hic verò priusquam gratiarum ad actionem, quæ thuris instar DEO adolenda, me accingam, paucis hominum malè feriatorum opinionem

stultam

ORATIO.

stultam, præposteram, & impiam, quæ plurimorum insedit animis, & radices egit altissimas, ut refellam & redarguam, in hoc ipso quasi vestibulo necessum est. Multos enim reperire licet, in quibus tam superbum & animorum & aurium est iudicium, ut illas ad orationes sibi fastidium moveri sentiant, & delicatuli nauseent, & vixâ vomitu temperare sibi queant, easq; vulgares, pigras, ignavas, degeneres, molestas & tædiosas esse putent, quæ non habeant alia vel ἠθη vel πάθη, non alios flosculos, non alias stellulas, non alias gemmas, non alia ἠδύσματα, quam illos κοκκυσιμὸς seu cuculorum cantus de assiduâ pietate, de metu numinis, de preculis vel continuis, vel contiguis, de gratiis DEO semper & habendis, & agendis, & referendis. In his nihil esse, quod animos afficiat nostros, & suaviter oblectet, quod veternum excu-
tiat, & dormire nos prohibeat : sed illos

demum

O R A T I O

demum oratores omne ferre punctum & omnium *Impulsas*, qui nihil non tenerâ quâdam lanugine emollire, & saccharo jocosæ voluptatis perspergere, & melle oblinere, & mulso adulatorio edulcare, & gratâ lascivie non sine risu audientium aceti cujusdam in morem, si dulciora quæ sunt, molesta esse palato cæperint, acuire possint.

Hic verò quid nostrarum partium esse putatis auditores? an obmutescemus? Dii verò prohibeant: an culpæ veniam rogabimus? nihil minus, nihil minus: an argutas per conciliationes eadem in castra transibimus? imò nos suspensos esse malle-
mus. Quid enim facilius, quam eorum, qui elumbem & enervem orationem esse dictitant, quæ precibus & votis subinde interpoletur, os impudens diverberare? Si Davidis saltem melodias his Midæ fraterculis tanquã caput Gorgonis objiciamus? Nil nisi preces sunt, nil nisi vota, nil nisi

obse-

ORATIO.

obsecrationes, nil nisi gratiarum actiones:
& tamen plus habent nervorum & robo-
ris, plus spirituum & sanguinis, plus vitæ
& vigoris, plus ornamentorum & elegan-
tiarum, plus gravitatis & ponderis, quam
omnia veterum & Poetarum, & Oratorum,
quos vel Græcia tulit, vel Italia misit, mo-
numenta. Et hi quidem ipsi cum
scriptis suis preces subinde miscuerint,
quod cum alibi, tum apud Homerum,
Ciceronem, & Virgilium videre licet, &
cum omnis antiquitas sine votorum nun-
cupationibus nulla unquam Diis obtulerit
sacrificia: an quæso consentaneum est re-
ligioni & pietati nostræ, ignaviæ & languo-
ris eos insimulare, qui vel dictis, vel scriptis
suis nominis divini mentionem inter-
texuerunt?

Dabitis mihi veniam, auditores, quod
hanc per digressionem hoc ulcus paucis

C

teti-

O R A T I O .

tetigerim, & molli quasi brachio castigare voluerim eos, quibus nihil auditu gravius est, quam si precibus ea, quæ dicenda nobis, vel inchoemus, vel persequamur, vel tandem finiamus. Jam in viam me recipiam, & quæ vobis sum pollicitus, auditores, bonâ fide solvam.

Ipsa gratiarum actio.

PRimum itaque DEO, qui optimus est beneficiâ, & potestate maximus, gratias agimus, non quas debemus & volumus, sed quas animis concipere nostris, & verbis utcunq; efferre possumus, quod ante quindecim annos, cum in ætatis medio quasi spacio diem ultimum piè clausisset *Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dn. Fridericus Wilhelmus, Pro Elector & Dux Saxonie*, parens Iuniorum Principum, qui hætenus paternis virtutibus

Alden-

O R A T I O

Aldenburgi succreverunt, quod inquam,
hanc ingentem lacunã, quam hæ provin-
ciæ non sine omnium bonorum luctu gra-
vissimo acceperunt, felicissimè solidarit,
& in integrum ea, quæ lapsura videbantur,
omnia restituerit, singulari curâ, prudentiâ,
moderatione, & fide Sereniss. & Celsiss.
Principum ac Ducum Saxonix, & Romani
Imp. Electorum, *Christiani II. Iohannis, &
Iohannis-Georgii*, quorum illi cœlo jam
recepti sunt, sed hic & prudenter, & gravi-
ter, & feliciter rem administrat publicam,
toti patriæ, si diu superstitem voluerit esse
DEUS, summus stator, quo nomine Jo-
vem Cicero vocat, & servator futurus. Per
hos enim Tutores & cum Pupillorum suo-
rum, tum harum quoque regionum pa-
tres mitissimos, plura in nos beneficia con-
tulit DEUS, neque modio, sed ipso nobis
horreo, quod dicitur, admetitus est, quàm
ut ea numero complecti possimus, licet à

1. Cat

O R A T I O

1. Tim. 3.

Matth. 13.

primò manè ad noctis usque concubium, in iis percensendis operam ponere velimus. Aureum propè seculum egit his sub Principibus Ecclesia, salvâ doctrinæ cœlestis veritate, cujus illa semper est columna: salvâ concordia, & piâ consensione docentium, quæ ita debilitavit & hostem illum generis humani, qui lolium & steriles avenas semper in agro DEI cupit ferere, & omnes, quibus cum nobis cernendū & pugnandum, adversarios: ut se aut planè non commoverint, aut segniter & timidè rem gesserint, aut in primò statim conflictu fugæ se mandarint, & clamoribus potius ac minis percellere nos, & abigere, quod meticulosi venatores leonibus facere solent, quam apertò Marte congredi, & pedem pedi conferre, & conferere manus ausi fuerint. Scholæ verò, quas Ecclesiæ, & omnis vitæ humanæ seminaria jure quam optimò dicere possumus, ita floruerunt

horum

ORATIO.

horum sub principum tutelâ, quâ docentium fide ac industriâ, quâ discientium numero & diligentia, quâ bonarum literarum doctrinâ limatâ & politâ, quâ utilis & jucundi mixtione accuratâ, quâ virtutis auctoritate & vitii despicientiâ, ut illarum limpidissimis è fontibus & castellis pulcerrimis innumeros per syphones & tubulos, per canales & aquæ ductus, seu potius uberrimos per rivos, nequæ mentiar si fluvios dicam, pietas, salus, incolumitas & felicitas omnem per orbem terrarum copiosè defluerint. In Republ. leges & æquitas principatum tenuerunt, viguere judicia, præstantissimis abundarunt Viris Dicasteriorum Collegia, sua virtus tulit præmia, sed pœna comes semper culpâ pressit, ut Horatii more loquar, sive exëplo foret opus, sive parti læsæ honor suus redhibendus, sive mores delinquentiû corrigendi, ut deinceps cautius mercari discerent.

*Horat. in
art.*

lib. 4. Od. 5

*Gell. li. 6.
cap. 14. &
lib. 14. 6. 4.*

C 3

Pacis

ORATIO.

Pacis publicæ nos inter ea certitudo fuit & diuturnitas, ut nullos his in regionibus sub signis milites, nullam vaginam, gladio vacuam, non rapinas, non incendia, non cædes, non sexus muliebris ignominiam ullam viderimus: cum interim Dania & Suecia armis funestis conflictarentur, Hungaria perpetuis infestaretur latrocinis, Histria & Carinthia mutuis se cædibus attererent, Insubria & Sabaudia suorum & civium & exterorum sanguine madererent. Cum ipsa quoque Germania & superior novis motibus, & inferior propter & causam Juliacensem, & incertam pacem tumultuaretur. Denique cum & in Galliâ parum abesset, quin arma Rex & Principes cognati sumerent, & suos sibi ipsis artus Cleomenis furentis in morem detruncarent. O immensam DEI misericordiam! ô beneficium nullis unquam ardentissimarum precum officiis repen-

den-

*Herod.
lib. 6.*

O R A T I O.

dendum! ô pax non aliunde nisi cœlo de-
lapsa, pax aurea, pax rerum optima, pax o-
mnium bonorum mater & nutrix fidissima,
quæ etiam si sit iniquior, justissimo tamen
bello est præferenda. Tu facis, ut religio
libera per agros & rura, per villas & oppi-
da, per provincias & regna obambulet:
ut justitia, quam ad superos olim subvolaf-
se ferunt, ad hæc ima terrarum redeat:
ut illud copię cornu, quo de multa vete-
res, passim omni bonorum genere efflo-
rescat.

Contagia verò morborum Epidemi-
orum, famem & annonæ difficultatem,
eluviones aquarum, incendia, & alia pœ-
narum genera, quæ impietate nostrâ, &
morum efferatâ licentiâ nobis attraximus,
ita mitigavit D E U S, ita fregit, ita repressit:
ut gladium vindictæ semper oleo misera-
tionis exacuerit, ut genium illum *αλιήειον*,

*Perdito-
rem.*

matus

O R A T I O

2. SAM. 24. matus fuit ipse David, vir ille magnanimus
1. Paralip. & intrepidus, ulterius grassari non siverit:
22. ut ignis flammam, quæ jam ingentem ab-
Amos 7. sumere voraginem cæperat, clementer in-
hibuerit, & ita denique nobiscum egerit,
ut cum Jeremiâ verissimè possimus dice-
Ibren. 3. re: *Misericordie Domini, quod non con-*
sumti sumus, & cum psalte Regiô exclama-
Psal. 103. re: *Miserator & misericors Dominus, tar-*
dus ad iram & multum misericors: non in
perpetuum contendet, nec in aeternum irasce-
tur: non secundum peccata nostra fecit nobis,
neq; secundum iniquitates nostras retribuit
nobis. Et denique cum Jacobo domum,
ad parentes è Mesopotamiâ redeunte me-
Genes. 32. *rito has in DEI laudes erumpere: Mino-*
res sumus cunctis miserationibus tuis, & ve-
ritate tua quam explevisti servis tuis Do-
mine.

Has itaque preculas an sint Melancho-
licæ, tristes, austeræ, morosæ, tetricæ, vul-

gares,

O R A T I O.

gares incultæ, sordidæ, an minus, & an elumbem debilem, imbecillem, inamœnam, frigidam, & torpidam reddant orationem, vobis, auditores, judicandum relinquo: nec interim tamen inficias eo gravissimè dictum ab Agathone fuisse, qui nihil difficilius esse, quam precari seu vota facere querebatur.

Gratiarum actio ad Sereniss. Electorem Saxoniam.

POST DEUM verò in terris (nec enim ut Tutoribus vita jam functis ea persolvamus denuò, quæ dubium persoluta sunt, opus esse putamus) neminem mortaliū esse scimus, cui majores debeamus gratias, quàm *Serenissimo & Potentissimo Principi ac Domino, Dn. Iohanni-Georgio, Electori ac Duci Saxoniam, Iuliam, Cliviam, & Bergam, Landgravio Thuringiam, Marchioni*

D

Misniam,

O R A T I O

Misnia, Burggravio Magdeburgensi, Comiti Marchæ & Ravensburgi, Domino Ravenssteinii, Domino nostro Clementissimo, qui Johannem & Christianum II. fratrem Germanum Septemvirum, laudatissimos Principes, & in tutelâ juniorum Ducum, & harum in terrarum administratione subsequutus est. Hic verò inopem me facit rerum copia, & animi propè dubium reddit, unde capere initium debeam, quæ media per spacia decurrere, & quo viarum compendio ad calces usque devenire. Et quidem in paucula si omnia conferre libeat, incertus sum, an prius tutelæ fidem & integritatem miret, an publicæ gubernationis prudentiam, vigilantiam, & felicitatem: nisi fortasse præstabili⁹ fuerit, utramque functionem pari habere loco, & immortalitati si non successu, tamen laudabili conatu mandare. Ante jam annos septuaginta & unum, cum bellum Germani-

cum

ORATIO.

cum his arderet in provinciis, & omnem patriam in cineris habitum redacturum videretur, hostes sagacissimi variis artibus ita Principes conjunctissimos distraxerant, ut & causis, & animis, & armis dissiderent, & diversas in partes abirent. Quæ tum secuta mala sint, non opus est multis ut commemoremus, ne illa vetera, quæ benè sepulta refodere, & quæ conseruerunt vulnera refricare videamur. Inter fratres & cognatos inter Principes, quorum bella patriæ sunt excidia, quicumque nisi hostes sint, discordiæ sementem faciunt, & coalescere jam bene cœptas offensiones furiosè discindunt, næ illi pestes sunt & perniciæ totius Reipublicæ, quibus de graviter admodum Cicero in Philippicis. Nam, nec privatos, inquit, focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest, quem discordia, quem cædes civium,

13. Philipp.



O R A T I O.

quem bellum civile delectant, eumq; ex numero hominum ejiciendū, & ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Itaque five Sylla, five Marius, five uterque, five Octavius, five Cinna, five iterum Sylla, five alter Marius & Carbo, five quis alius civile bellum optavit, eum detestabilem civem Reipublicæ natum judico. Quid verbis opus est? quid longam orationem comparem? DEUS est, ipse DEUS est, cujus anima sex odit mala, & septimum detestatur: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, falsum testem proferentem mendacia, & illum denique loco septimo, qui ferit inter fratres discordiam.

Prov. 6.

Iliad. 9.

At verò quemadmodum apud Homerum quidquid malorum Ate per omne genus hominum disseminat, id Litæ subse-

quentes

O R A T I O .

quentes sanare & sarcire conantur, ita quid-
quid offensionis natum olim culpa non
propria, sed aliena fuerat in hac familia, il-
lud omne sustulit fortuna melior, seu poti-
us ipse D E U S per compositiones æquissi-
mas, & mutuam tutelarum vicissitudinē,
quæ utriusq; partis animos & amore pa-
terno, & pupillari pietate, inter Augustum
quidem Electorem, & Johannis V Vilhel-
mi, Principis gravissimi, Filios, tum inter
Fridericum V Vilhelmum, & inter Christi-
ani primi natos generosissimos, & denique
inter Christianum secundum, & Johan-
nem - Georgium Septemviros, interque
Friderici V Vilhelmi, & Johannis posteros
& heredes florentissimos, ita devinxit &
& constrinxit, conflavit & ferruminavit,
ut aut eos nulla vis, nullæ fraudes unquam
dissolvere possint, aut nihil in rebus huma-
nis insolubile, & immutabile reliquum sit
futurum.

O R A T I O .

Serenissimus itaque Princeps & Elector Johannes-Georgius suos pupillos amore non minori quam natos ex se Filios profectus fuit, quod primum : & cum ut bonis operam darent literis, tum ut omni virtutum genere imbuerentur, & insuper alias quoque discerent artes, quæ vel tuerentur valetudinem, & bonum corpori inducerent habitum, vel militares ad labores præcursionem adhiberent, & quædam essent præludia, unicè curandum sibi putavit, quod secundum : Et cum Principes nostri jam id ætatis attigissent, quâ exire tutelâ moris est, absque dilatione decessit hac suâ provinciâ, & pupillos suos ad clavum Reipublicæ summâ voluntate sedere jussit, quod tertium fuit & ultimum : tutor in hujus ingressu muneris justissimus, in progressu integerrimus, in exitu æquissimus & felicissimus, & ita quidem omnibus harum terrarum incolis amabilis, desiderabilis

ORATIO

rabilis vicinis, & exteris procul dissitis, si quisquam alius Principum, admirabilis. Sic igitur hanc dum Spartam sibi debito jure familiae commissam pro virili ornat, & legibus divinis simul ac humanis abundè satisfecit, & omnia propè antiquitatis exempla superavit. Et Romanorum quidem de legibus, quæ de tutelis latae, quales erant Atilia, Lætoria, Julia, Titia, & Claudia, nihil jam ut dicam opus est, ne forsitan extra oleas evagari, & falcem in alienam messem immittere videar. Hoc unum mihi jam paucis attigisse satis est futurum: Romanos, ut constaret, quid fidei pupillorum ætati, educationi, opibus & defensioni deberetur, in officiorum gradibus & ordinibus post parentes locum primum pupillis, secundum clientibus, tertium hospitibus, quartum cognatis & affinibus dedisse, uti quidè Gellius auctor est. De Lycurgo memoratu dignissimum illud est, quod Plutarchus & Strabo memorant.

Cum

*Ros. A.
R. lib. 8.*

*libr. 5.
cap. 13. &
l. 20. c. 1.
in Lycur
lib. 10.
Geog.*

O R A T I O

Cum Polydectes Spartanorum Rex Lycurgi Frater, quandam inter cives pugnam, dirimens cultello ictus occubisset: omnes regnum Lycurgo deferebant, qui quidem aliquot per menses potestate regia imperio præfuit. At verò cum Fratris uxorem esse gravidam inaudiret, regnum puero, si quis nasceretur, delaturus principatum non nisi nomine tutoris, qui Spartanis *ωέδιξ* vocatur, tenebat. Neque multò post vidua Polydectæ mittit clanculū ad Lycurgum, cuius & aucupabatur gratiam, & conjugium quasi procabat, qui nunciarent, se facile abigere posse foetum, & abortum procurare, ut ipse jam solus regno potiretur. Lycurgus mulieris consilium se probare simulat, sed rogat interim, sibi ut parcat & salutem ac vitæ suæ: satius futurum, ut pareret, & masculus si natus foret, sibi curæ futurum, ut è medio tolleretur. Parturire cum cæpisset, ire quasdā iussit & adesse parienti,

& fili-

O R A T I O.

& filium si eniteretur, ad se rectà pusionem
afferre. Dictum factum, neq; multò post
ad Lycurgum, quò cum Principes viri cæ-
nabant, puellus in lucem editus deporta-
tur, quem cupidè excipiens magná voce
exclamare cæpit: Rex vobis, ó Spartani,
natus est, & infantem continuò regium in
solum detulit, & gratulabundus imposuit.
Neque verò minor fides & integritas fuit
olim Ferdinandi regis Arragonii, cuius
Frater Henricus Castulonensis cum in vi-
vis esse desiisset, relicto Filiolo, deliberari
cæptum in cætu optimatum, cui Regnum
Castiliæ esset deferendum. Plerique tum
ad Ferdinandum quidem inclinabant, sed
tamen ut ab se omnem suspicionem, invi-
diam, & periculum amolirentur, per mili-
tiæ præfectum more patrio optionem ei
fecere nuncupandi Regem vel seipsum,
quod malebant omnes, vel Alphonsum
filium, vel Johannem è fratre nepotem

E

pupil-

O R A T I O

pupillum suum. Ille verò qui & staturâ procerus erat, & in editiore loco consistebat, puerum tollens, & imponens humeris, altâ voce clamitabat: Johannes Rex esto; dicite omnes, *Johannes Rex esto.*

Fulgos. l. 6.
cap. 5.
Val. lib. 1.

Hanc ad regis optimi pietatem obstupere primò regni proceres, & obmutuere quasi, tum verò subsecuti Ferdinandum multis clamoribus Johannem Regem salutârunt. Eadem fuit pietas Friderici Elect. Brandeburgensis, qui delatû sibi Poloniæ regnum magno animo recusavit, nec suæ familiæ potentiam, auctoritatem & opportunitatem viciniæ pensi habuit hoc saltem fine: ut Casimiro Duci Lithuanix Uladislai defuncti Regis Fratri, pupillo suo provincias amplissimas conservaret, & de manu, quod dicitur, in manus traderet.

Æn. Sylv.
c. 26. Europ.
Fulgos.
lib. 4. c. 1.

His itaque tutoribus si componam *Johannem-Georgium Electorem*, nemo bonorum opinor, esse poterit, qui ullius me

Assen-

O R A T I O.

assentationis, cum puræ putæ veritati testi-
monium perhibeam, in simulare queat.

His verò terris, quæ juniores Principes
ac Duces Saxonæ, Juliæ, Cliviæ & Bergæ,
Dominos erant habituræ, singulari fide,
curâ, sollicitudine & diligentia feliciter im-
peravit, & hoc unicè dedit operam, ut ea
quæ essent lateritia nobiscum marmorea
faceret, quæ marmorea prorsus argentea &
aurea relinqueret, nec ullis pepercit labori-
bus, ut eorū esset in numero Magistratum
quib. de accipiendum illud Ciceronis: mo-
deratori Reip. beata civium vita proposita
est, ut ea opib. firma, copiis locuples, gloria
ampla, virtute honesta sit: & hoc alterum
ejusdem in offic. Ut tutela sic procuratio
Reip. ad utilitatē eorum, qui cōmissi sunt,
non ad eorum, quib. est commissa, gerenda
est. Et tertium Senecæ de clementia: Magi-
stratui non civium servitus est tradita, sed
tutela, neq; Magistratuū est Respublica, sed
Reipublicæ Magistrat⁹: quo ctm planè consentit illuc
Claudiani:

*lib. 5. de
Republ.*

lib. 1.

*n 4.
onsul.
onorij.*

O R A T I O.

*Tu civem patremq; geras tu consule cunctis
Non tibi, nec tua te moveant, sed publica,
damna.*

Et hos quidem ad fines Serenissimus Elector & omni virtutum genere, quas sitas habet in seipso, contendit, & insuper succenturiatâ consiliariorum, quos & Nobilissimos, & summos, & optimos Viros cum suam in aulam, tum harum in regionum curias & senacula allegit, operâ sublevatus adspiravit: quam tanti Principis singularem esse felicitatem, quis est, qui non sentiat? Pyrrhus Rex Epirotarum, cujus fortitudinem os continuum, quod habebat loco dentium, præfagiebat, ingenuè fatebatur, se plures urbes eloquentiâ Cyneæ, quo Cancellario seu libellorum Magistro & pace & bello utebatur, quàm armis & milite suo cepisse.

Et sunt non pauculi veterum, qui Friderici Barbarossæ in rebus gerendis fe-

licita-

Plut. in
Pyrrh.

O R A T I O.

licitatem & successus admirandos bonam partem acceptos referunt Christiano Comitē de Buche Thuringo, Cancellario Imperatorio Archiepiscopo Moguntino, quod de Crantzius & Bruschius historici: Christianus, inquiunt, ab Imperatore in Italiam præmissus Romanorum erumpentium ex urbe 20 millia trucidavit, Bononienses ad deditionem compulit, Anconam biennio obsessam fame cepit, Mediolanum, Ferrariam, Ravennam expugnavit. Armatus insidebat equo auream ferens galeam, loricā indutus, cui tunica hyacinthina superinjecta, clavam trinodē manutens, Herculem putares, & unō prælio suâ manu novem hostes fortissimos viros stravisse fertur.

Hanc itaque Ministrorum aulicorum, qui nostrum stipant & circumfundunt Electorem, prudentiam & virtutem, estimationem & auctoritatem quotiescunq;

E 3^o licet.

*Crantz.
li. 6. Saxo.
cap. 28.
Brusch. in
Chron.
Mognnt.*

O R A T I O

Syrac. 10. c.

licet intueri, semper in memoriam mihi redigo illud Syrac. *Rex insipiens perdit populum suum, & civitates inhabitantur per sensa prudentum: in manu DEI potestas terra, qui interdum idoneos gubernatores suscitatur: Magistratus felicitas sita est in manu DEI, qui prudentem ipsi Cancellarium largitur.*

Digressiuncula.

Hic verò non possum facere, quin paucis attingam ea, quæ in Electoris nostri tempora, licet non multorum annorum fuerint, sed plurimum futura, quod speramus, inciderunt, & illa quidem negocia maximi momenti, è quibus hujus Principis & magnitudinem, & res fecundas, quas in horas crescere videmus, facilimè colligere possumus.

I. Con-

ORATIO.

I. Conventus Electorum
Imperii.

PRimum enim cum nuper admodum
Fratri Christiano Principi mitissimo,
& optimo successisset, Electorum imperii
conventus Noribergæ celebratus est, qui
quidem & libertatis Germanicæ, & mode-
rationis imperatoricæ certissimum est indi-
cium, & omni exceptione maj⁹ argumen-
tum. Triplicem imperii nostri, quod in-
victum, si vires jungeret suas, erat futurum,
Senatum habemus: primum Electorum,
qui septem numero ad imitationem regni
Persici: tum reliquorum Principum, qui
frequentiam plurimi, virtute insignes, po-
tentiam nulli non exterorum metuendi:
tertium liberarum civitatum, quarum
paucissimæ vicinis cum regibus atrocissi-
ma bella gerere sine rerum suarum dispen-
dio majore haud rarò potuerunt.

Electo-

ORATIO.

Electoꝝ liberum est, quotiescunq; voluerint, & ubicunq; locorum placuerit, convenire, & publicâ de salute consilia capere, & hos quidem congressus Imperator non ægrè ferat, non prohibeat, non impedire conetur. Hanc summam & integerrimam quidē Germaniæ libertatem esse quis non intelligat, non miretur, non vehementer gaudeat? Vicina regna circumspice: nullibi subditis licitum cætus agere, & de summâ Reipublicæ deliberationes suscipere sine Regis auctoritate. Et plurima esse, quæ sine Principum consensu Imperatores nec audent decernere, nec executioni mandare, satis superq; demonstrant capita, in quæ Carolus V. Imperium aditurus jurare coactus fuit apud Sleidanum. Benè Diogenes roganti, quid esset in vitâ optimum? libertatem respondit. Et hæc ipsa bonum est, quod nemo sanus vel cum Persarum Regno permutarit,

lib. 1.

Laerr. l. 6.

inqui-

O R A T I O .

inquiunt Buris & Spartes apud Plutarchum in Laconicis. Nec Imperatores, quos & plurimos, & moderatissimos orbi Christiano dedit familia Austriaca, libertatē hanc, quod certō sciamus, infringere hactenus & deminuere aggressi sunt, quæ quidem fides & æquitas non parum momenti attulit ad hanc imperii in unâ domo diuturnitatem. Carolini, quos inter successio locum potissimum habebat, annis centum & duodecim seriè, non interruptâ rerum potiti sunt. Saxones ab Henricō Aucupe ad Heinricum usque Sanctum annis centum & quinque. Franci à Cunrado Salico ad usque Heinricum V. annis nonaginta.

Suevi à Cunradō tertiō ad usque Cunradum ultimum, annos centum & novem. Lützelburgenses annis centum & triginta, sed intervenientibus Ludovico Bavaro, & Ruperto Palatinō. Austriaci verò, ut

F

Rudol-

O R A T I O

*Arist. 5.
polie. 11.*

*Sen. in
Iroad.
Sen in
Oedip.
Plaut. in
panul.*

*Plat. 3.
de Rep.*

*1. oper. &
dier.*

Rudolphi primi & Alberti tempora non
connumeremus, ab anno Christi millesi-
mo, quadringentesimo tricesimo octavo,
annis centum & octoginta continuo sum-
mæ rei Christianæ præfuerunt, dubio pro-
cul hujus felicitatis participes haud futuri,
nisi meminissent illud Theopompi, qui
cum instituens Ephoros Regum Spartano-
rum potentiam haud parum contraxisset,
indignante hanc ipsam ob facilitatē uxore
& quiritante, Maritum Filiis regnum infir-
mius esse traditurum, quàm id à majoribus
accepisset: infirmius, inquit, fateor, sed in-
terim stabilius & diuturnius. Durant enim
quæ moderata sunt, & quidquid excessit
modum, pendet instabili loco, & nimia
omnia nimium exhibent negocium homi-
nibus: nec quicquam hac de justæ medio-
critatis laude dici potest cōmodius, quam
illud prudentissimæ vetustatis adagium,
τὸ λέον ἡμῶν παντὸς dimidium plus est toto, quod Hesio-
dus hoc versiculo complexus est.

Νήπιος

ORATIO.

Νήπιος γὰρ ἴσασιν, ὅσῳ πλεον ἤμισυ πάντος
*Dimidium toto quam sit præstantius, istud
Haud novit stultus,*

II. Vicaria Imperii ad- ministratio.

Sed paullatim ad majora descendemus.
Cum Rudolphus Imperator jam & æta-
te fessus, & utraq̃ue fortunâ non leviter
exercitatus ad superos abiisset, Imperio va-
cante, ad Rhenum quidem & per Sveviam
ac Franconiam Elector Palatinus, sed ad
Albim & iis in terris, quibus uti jure Saxo-
nico licet, Johannes-Georgius Imperii
Vicarium agere cæpit, uterq̃ue nec aucto-
ritate, neque potestate ipsis Imperatoribus,
si sint in vivis, inferior.

Summa certè dignitas, & propè divina
Majestas, quæ nulli Principum in nostrâ
familiâ post Fridericum Sapientem, intra
centum annos contigit.

ORATIO.

Et quidem Electorum uterq; ita Vicariam imperio navavit operam, ut pacata & quieta fuerint omnia, nec vel minimæ ullorum motuum suspiciones tantum cuiquæ oboriri potuerint: ita pelles aridæ si mediis insistatur partibus, non autem si extremis in oris obambuletur, id quod Alexandrum Gymnosophista quidam monebat, facilimè deprimuntur & quiescunt.

*Plut. in
Alex.*

III. Electio Matthiæ Imperatoris.

NEquè multò post Francofurtum itum ad electionem novi Imperatoris, quæ nulla fuit insignior post Caroli V. tempora, nulla liberior, nulla magnificentior, nulla Germaniæ, cujus de jure salvo & integro multi non optimè sperarunt hactenus, gloriosior. Reges si eligendi, religionem & virtutem primariò quidem

spectare

O R A T I O.

ſpectare oportet: ſed interim tamen & potentiaẽ habenda ratio, & familiaẽ, & agnatorum, & pacis publicæ, & eorum omnium, quæ & ſtabilire imperia & labefactare poſſunt. Hæc iudicii dexteritas non cadere poteſt, niſi prudentiſſimos in viros, qui ſoli quid æra diſtent à lupinis, quid aſinus Cumanº à leone, quid plectrum à ſceptro, quid ſimia à purpurâ, quid gladius plumbeº à vagina argenteâ, diſcernere norunt.

In quærendis Regibus & Imperatoribus quàm ſæpe præcinctura feſellerit oculatiſſimos quoque Principes, quàm ſæpe capturi perſeam ſcorpionem arripuerint, quàm non rarò Perſidis & Midæ ſuffragia tulerint illi, qui incautiores, hiſtoria lux illa veritatis, & vita memoriaẽ ſatis ſuperq; teſtatur. Et tanto quidem graviores hi ſunt lapſus, quantò minus bis hac in cenſurâ, quàm ipsis in bellis peccare licet.

Neq; verò dubium eſt, quin ſingulari DEI

Cic. 2. de
Orat.

O R A T I O .

providentiâ Matthiæ Austriaco Imperium, quod unum absque motu Germaniæ fieri potuit, delatum fuerit, quamvis senescenti, quamvis interdum minus valenti commodè:

Ovid. 6.
Metam.

--- *Non omnia grandior ætas*

Æl. Spar.
in Sever.

Quæ fugiamus habet, seris venit usq; ab annis:
Et lassæ boves fortius pedes figunt, & hæc in ætate corporis tarditas animi celeritate plerunque pensatur. Scitu dignum est illud Severi Imperatoris, qui, cum milites Filium Bassianum Augustum consalutassent, eò quod Pater pedibus æger bellum moraretur, se portari iussit ad tribunal, & simul adesse duces, tribunos & milites unâ cum Filio, qui nomen Augusti non recusârat. Omnes verò cum in genua provoluti veniam supplices peterent, & Imperatoris jam arbitrato plecti possent, Severus caput manu contingens, tandem, inquit, sentitis caput imperare, non pedes.

Initia

ORATIO

Inicia præclarissima sui imperii fecit
hic alter ab Hunniade Matthias, & *αὐτὸν ἀνα-
βατόμω* & negocia plurima, quæ intricatif-
sima, feliciter exolvit: cui precamur à Deo,
ut quando Fridericum tertium atavum
suum numero annorum, quo ille præfuit
imperio, æquare non potest, tamen ætatis
spacio longè vincat & supergrediatur.

IV. Confraternitatis redintegratio.

Sub hoc eodem Electore nostro Num-
burgi redintegratum est fœdus illud
hæreditarium, quod CONFRATER-
NITATEM vocant, inter Illustrissimas
& Potentissimas familias Saxoniam,
Brandenburgicam, & Hassiacam, qua-
rum ditiones licet Juliacenses provinci-
as nondum annumeremus, à Rheno ad
usque Viadrum ac Poloniam, & à finibus

Sueviæ

O R A T I O

Sueviæ & Norici continuo tractu ad Borussia & mare Balthicum usque excurrunt. Quadruplex hujus confœderationis, seu pacti gentilitii, quod plurimi hæcenus Imperatores suo probarunt calculo, & ratum esse jusserunt, beneficium.

Primum quidem mutuus amor, & mutua benevolentia hos inter Principes, qui parentum & liberorum, qui fratrum & patruelium loco sunt invicem. Tum verò communis illa cura, quâ complectuntur omnes populos, quos sui juris si non in re, quod Jurisperitorum verbum est, tamen ad rem esse noverunt. Nihil enim est, quod de magis solliciti simus, quâ τὸ ἴδιον καὶ τὸ ἀγαπητὸν, id quod proprium habemus & amamus, inquit Aristoteles : & vix quidquam dari potest, ad quod vetus illud, amicorum communia sunt omnia, facilius & commodius referri possit. Tertium mutuum est subsidium, & defensio mutua, si hæc societas

2. Pol. 2.
Plat. 5.
do LL.
Arist. 1.1
Eth. c. 8.
Cicer. in
Offic. 5.
alibi
passim.

tas

O R A T I O.

tas hæreditaria sine fraude bonâ fide cola-
tur. Triplex funiculus haud facilè rum-
pitur, & frater qui adjuvatur à fratre, quasi
civitas firma, Salomonis judicium est & in-
dicium: quam eandem in sententiam &
Antisthenes fratrum concordiam quovis
muro firmiorem esse pronunciat. Nun-
quam de Germaniâ ætate patrum nostro-
rum Carolus Quintus triumphum egisset,
nisi triplicem hunc scidisset funiculum,
& discordiæ lapides instar Cadmi Ovidia-
ni has in familias, non tamen è tellure na-
tas projecisset. Ultimum beneficium
hujus conventionis esse dico certam, quie-
tam, & securam, si harum familiarum una
intercidat, quod tamen omen avertat.
DEUS, successionem, quâ providentia
nihil est, quod pacem tueri publicam, &
faciliùs & feliciùs possit. Quæ tempestas
olim & calamitas per omnem desævierit
Hungariâ, post interitum Ludovici Regis

*Eccles.
cap. 4.
Prover.
18.*

Laert.

*Ovid. 3.
Metam.*

G

infe-

ORATIO.

infelicissimi juvenis, cum Ferdinandus & Johannes de Zapoliâ Erdelii VVaivvoda Comes Ceposiensis de regno dimicarent invicem, ille veterum pactorum æquitate fretus, hic suppetiis Turcorum subnixus, uterq; partium studiis animatus, magno cum orbis Christiani detrimento, nec minori cum bonorum omnium luctu nostri senserunt majores, & posterius ad hunc usq; diem meminere. Hanc itaq; συναδελφότητα cum redintegravit Johannes - Georgius, Elect. quis est, qui ipsius Celsitud. nomine totius Germaniæ, cujus quieti consultum esse voluit, & harum regionum, quas in tuto locavit, & Illustrissimarum familiarum, quibus suo de incremento cavit, gratias non maximas habeat, non agat, non referre cupiat?

V. Im-

O R A T I O

V. Imperatoris Matthiæ, &
Ferdinandi Regis, & Maximiliani Archi-
Ducis in Misniam ad Electorem
adventus.

Cum igitur Serenissimus Elector suam
toties fidem & integritatem omni
probasset Germaniæ: fieri non potuit,
quin & Matthiæ Imperatori charissimus
esset, & aliis quoque Magnatibus, qui rem
quamlibet suo æstimare possunt precio,
honorabilis evaderet. Ideoque Dresdam
anno superiori Albis secundo flumine de-
vecti appulerunt Matthias Imperator, &
Ferdinandus Rex Bohemorum jam desi-
gnatus, & Maximilianus Exarchus Austriæ,
summus equitum ordinis Teutonici Ma-
gister, quod & non latentis benevolentiæ,
& amicitæ non procul ab æqualitate justâ
dissitæ (quinam enim sibi propiores invi-
cem, quam Imperatores, Reges, Electores?)

O R A T I O

& mutuae cum fiducia tum observantiae, & denique publicae sollicitudinis, qui signum minimè fallax esse non videt, is verè noctuarum habet oculos ad Solis altissimi radios etiam mediâ luce caligantes. Nec enim Imperii capita & sceptrâ, quæ Ægyptiorum hieroglyphica pingebat, oculata vel dicis & temporis fallendi gratiâ, vel epularum & ludorum equestrium causâ, quæ omnia domi suæ nascentia poterant habere, si quid his è ludis voluptatis caperent, convenisse putandum est: sed ut ea consultarent, quæ sempiternâ concordiam imperii ordines maritare possent, quæ Reipublicæ quasi rimas & lacunas redintegrarent, quæ & præsentia, quibus fruimur, tuerentur bona, & mala, quæ imminetia metuimus, veluti χαλαροφύλακες quidam averterent, interciperent, prohiberent.

Comitatus Imperatoris ac Regis, & Archiducis Persarum in morè, augustissimus fuit

& magni-

*Sen. l. 4.
N. 2.
cap. 6.
Xenoph.
in padon*

O R A T I O

& magnificentissimus. Ab Electore nostro, qui tantis hospitibus non minus erat lætus, quam olim Achelous Thesei præsentia, & cujus de aula non malè dicere queas vetus illud, semper aliquis in Cydonis domo, excepti fuerunt splendide, habiti liberalissimè (nec enim hic λακωνίζειν oportuit) & benignè cum diutius retineri non possent, dimissi: quæ hospitalitatis officia Homerus hoc uno versiculo non incitè descripsit:

ἄλλ' ἕϊνον παρέοντες φιλεῖν, ἐθέλοντες δὲ πέμπειν.

nec malè Plautus in milite: In bono hospite atque amico quæstus est, quod sumitur.

Eâdem benevolentia & gratia Maximilianus Secundus Imperator, at ò DEUS bone, quantus Princeps? qui prudentia & moderatione paucissimos habuit pares, neminem superiorem,

3. Meta.

Suidas.

Odys. 9.

O R A T I O.

Augustum Electorem complexus fuit, & non tam ut subditum, quod ille tamen lubens volensque profitebatur, quam ut amicum summum invisit, & aliquoties suos monuisse filios dicitur, hunc ut Principem venerarentur, qui columna sit imperii, & cujus fide ac operâ partum hoc à majoribus axioma vel maximè tueri possent. Utinam verò, utinam hæc augustissimarum familiarū perpetua sit concordia, quæ Reipublicæ Christianæ inexpugnabile firmamentum erat futura. Sunt nonnulli, quos inter & Philippus Cominæus, qui non probant congressus ipsorum Principum, nisi fortè juniorum, qui nihil agunt rei sericæ, sed si quid publici transigendum sit negotii, id per legatos expediendum autumant.

libr. 3.

Facilè inquirunt offensiones nasci posse inter ipsos Principes per & morum dissimilitudinem, & formas corporum dispa-

riles,

O R A T I O.

riles, & apparatus splendorem aut tenuitatem, & ministrorum intemperiem, ludibria, rixas, convicia: quæ causæ fuerint, ut Ludovicus XI. Galliarum, & Henricus Castiliæ Reges, cum s̄m̄q̄l in colloquium ad Fontem rapidum descendissent, non satis bonâ cum gratiâ ab se invicem discesserint: & ut Fridericus tertius Cæsar, & Carolus Burgundus, cum Trevirorum in urbe congregarentur, animis non leviter utrinq; irritatis, ne dictâ quidem salute, in diversa abierint: ut sicco jam pede transamus aliorum conventuû exempla, quorum infelices exitus, & catastrophæ prope modum luctuosæ fufere. Sed hoc à periculo nos liberat Germanorum Principum integritas, qui publicis in comitiis hætenus sine ullis, quæ alicujus momenti fuerint, incommodis coire potuerunt. Et anno Christi 1515. Viennam simul accessere Maximilianus Imperator, Uladislaus

Hunga-

ORATIO.

Cuspin.

*Steidan.
lib. 12.*

*Steidan.
lib. 13.*

Hungariæ, & Sigismundus Poloniæ Reges,
& partim de matrimoniis & successioni-
bus liberorum, partim de vel declinandis
vel profligandis Selymi Turcorum tyran-
ni, cui res in Asiæ motibus admodum
erant secundæ, bellis deliberarunt, sine
ullo, quod sciri potuit, dispendio. Et anno
post natum Christum sesquimillesimo &
tricesimo octavo, Clemens septimus Pon-
tifex Romanus, & Carolus V. Imperator,
& Franciscus Galliarum rex Niceæ convene-
runt, qui congressus, in quo decennales
factæ sunt induciæ, nihil exitus infelicio-
ris habiturus videbatur, nisi aliæ offensio-
num causæ, quas interferere princeps Rin-
conis & Fregosi Legatorum Gallicorum,
ad Solymannum cædes perpetrata ab Hi-
spanis, intervenisset.

Neque verò sum animi dubius, quin
& temporis, quo tanti hospites Dreldam
ingressi sunt, & loci, quo diverterunt

perpe-

ORATIO

perpetua ad omnem usque posteritatem
memoria futura sit. Basileæ ostendi solet
quercus annosa patulis diffusa ramis, sub
quâ Fridericus tertius Imperator cum Filio
Maximiliano, & cum omni suo comitatu
anno 1474. cænarit, nec sine & civium
voluptate, & peregrinorum admiratione
ostendi. Neq; procul ab oppido nostro in
declivi quadam valle supra Welnitzium
pagum, fons & limpidissimus, & uberrimis,
scaturiens aquis è montis cujusdam radici-
bus meridiem versus erumpit, quem Fon-
tem Principis (den Fürsten Brunn) appellant,
olim & notissimum, & gratis. Studiosæ ju-
ventuti, quæ sæpiculè quondam eò solebat
excurrere, in memoriam Johannis Fride-
rici Electoris, qui si vicinis in sylvulis ali-
quid contraxisset lassitudinis, ejus fornici
lapideo & concamerato succedere solebat,
qua de re Stigelius hoc lusit Epigramma,
quod interiori muro incisum:

*Ram. in
Basil.*

H

Fontis

O R A T I O .

*Fontis ad hujus aquas frigus captabat in aestu
Saxoniae Elector, mystaq; Christe, tuus.
Tu fons justitiae, vera fons vitae salutis
Saxoniae salvos, Christe, tuere Duces.*

Certè non minori in honore futuræ
sunt Albis ripæ, in quibus Imperator Mat-
thias, & Ferdinandus Rex, & Maximilianus
Archidux è navibus excensum fecerunt,
& palatia in quibus morati sunt, & cæna-
cula in quibus epulati, & cubicula in qui-
bus somnum ceperunt.

Quin nec illud prætereundum, quod
Moschovitarum legati per non paucula
viarum dispendia Electoris nostri salutan-
di gratia Dresdam se contulère, quod du-
biò procul injussi minimè fecissent.

Neque silendum & hoc alterum,
quod Palatinus & Brandenburgicus Septem-
viri nostrum adierunt Electorem, quod
honoris habere nemini solemus, nisi quem
propter virtutem amamus ac magnifici-

mus,

ORATIO.

mus, & rebus tum publicis, tum privatis
suppetias ferre posse speramus.

VI. Controversia Ju- liacensis.

IN controversiâ Juliacensi, quæ omnem
Germaniam, Galliam, Hispaniam, & An-
gliam, at quas provincias? suspensas habet
& sollicitas, eâ moderatione suam, & fami-
liæ Saxonicæ causam egit, ut nullum mili-
tem scripserit hætenus, nihil armorum
expedierit, nihil turbarum vel minima-
rum dederit: & jura tamen suæ domus per
nuperam investituram, quam vocant,
ab Imperatore factam tecta & integra ser-
varit, dubio procul illud Christi quon-
dam experturus: *Beati pacifici, quoniam*
possidebunt terram.

Matt. 5.

H₂ VII. An-

O R A T I O.

VII. Annus Jubilæus.

ANnum Jubilæum, qui centesimus fuit à repurgatâ per Lutherum doctrinæ cœlestis veritate, primus suis in provinciis celebrari jussit, & omnes Ecclesias, quæ liberiores ab impietate & tyrannide Pontificiâ secessionem fecerunt, ut feriarentur, suo incitavit exemplo, & quasi *δαδῶ* quidam hujus pietatis facem præferens animavit: utcunque tandem gemant & fremant falso dicti Catholici: utcunq; contra diem Cerberi in morem restent, & oculos obliquent suos, & cum Proteo lumina glauco intorqueant: utcunque contumeliosam in DEUM, cui soli tum actæ gratiæ, vindictam meditentur: utcunq; centenarium, quem ita vocant, Lutherum, (*Den hundertjåhrigen Luther*) sub incude ferantur habere, ac suorum & follium flatu, & forcipum versurâ, & malleorum ictu mi-

seris

7. Me-
tamor.

4. Ge-
org.

O R A T I O

feris & indignis modis tractare : utcunque dejerent nunquam hunc jubilæum repetitum iri : quod ut de anno præterito, & de nobis, qui jam in vivis sumus, verū esse non diffitemur, ita futuro de tempore & nostrâ de posteritate haud sine *πληροφoρiα* quadam negamus. Hujus verò solennitatis & horum dierum, quasi Purim extrema fuit necessitas, & utilitas longè maxima. Jam enim per totam ferè Germaniam, quæ hominum est somnolentia, oblivione pudenda sepulta jacebant omnia malorum genera, quæ Romanis sub Pontificibus orbis Christianus instar jumentorum dossuarium & asinorum clitellarium pertulerat: conscientiarum miserrima servitus & carnicina, quæ à purgatorii metu, & dubitatione perpetuâ: bonorum & publicorum rapinæ, & privatorum direptiones callidissimæ, quarum similes neque Sisyphus, nec Autolytus illi nobilissimi fures & prædones unquam excogitarint :

*Ester
cap. 9*

*Soph. in
terp. in
Ajac.
Mastig.
Polia. l. 6
Eustat.
Iliad. x*

ORATIO.

Depressio Magistratus, & reliquorum ordinū proculcatio: difficultates, molestiæ, & intolerabiles æumnæ, quæ partim à scabiosissimo cœlibatus pruritu, partim ab intempestivis jejuniis, quæ tamen penes ordinē Ecclesiasticum plus quam Sibaritica erant convivia, partim à peregrinationum oneribus, quâ & labores, & sumtus & omnium scelerum licentiam Æthna monte gravioribus. Hæc omnia ferè exciderant iis, qui ætate juniores erant, neque nostris cum majoribus Ægyptum incoluerant, mare Erythræum transierant, & vastas Arabiæ desertæ solitudines peragrarant. Neq; pauculi nostratium erant, qui, ut hominum ingenia semper novitatis sunt avida, & vetera quæque nauseabunda fastidiunt, ad ollas Ægyptias redire, & prope confectum peregrinationis iter remetiri cupiebant. Nihil his in feriis actum contra summum Imperatorem, cujus salutem.

Num. II.

preci-

O R A T I O

precibus ardentissimis commendavimus DEO, & ut dies ejus sint, quod Judæos captivos facere jubet Baruch, sicut dies cœli, oravimus. Nihil contra pacem Religioni datam: sed tantum DEO egimus gratias pro illo Manna doctrinæ purioris, quo nos per annos jam centum ali paternè maluit, quàm furfure traditionū humanarum, porcorum instar, pasci. Summam meretur laudem Mauritius Elector, quod bona Ecclesiastica, quibus de in omnibus propè comitiis tragicos clamores excitant Pontificii, meliores ad usus translaturus Scholas illustres Misenæ, Grimmæ, & Portæ Thuringorum aperuerit, quibus in officinis unius intra mensis dies pauculos plus & pietatis, & sapientiæ, & eloquentiæ docetur simul & addiscitur, quàm olim intra multos annos plurimorum in claustrorum popinis, & prostibulis leviter saltem, & primoribus quasi labris attingebatur.

Cap. 1.

Exod. 15.

Æterna



O R A T I O.

Æternâ prædicatione dignus est Augustus, qui editâ formulâ Concordiæ consensum nostrorum Theologorum, quem ne unius quidem Pastoris suo cum ædituo nobiscum reliquum esse nugabantur adversarii, felicissimè demonstravit, & diuturnam Ecclesiis harum terrarum pacem, quietem, & tranquillitatem magnò cum rasæ illius & unctæ gentis pudore restituit.

Neque verò minus omnem ad posteritatem usque commendabitur Johannes-Georgius Elector, qui festivitatis jubileæ fecit initium, ut gratus se exhiberet DEO pro tot & tantis, quæ contulit in nos, beneficiis, quod pietatis fuit: ut eandem ad curam omnes posteros propè dormire jam incipientes suscitaret, quod justissimæ sollicitudinis: ut partem adversam ponere supercilia, & cristas deprimere suas doceret, quod eximiæ magnanimitatis: ut erro-

ribus

O R A T I O.

ribus Pontificiis, quicunque tandem agantur cuniculi, omnem has ad terras aditum obsepiret, & ingressum præcluderet, quod summæ prudentiæ, & accuratissimæ circumspectionis. Et his quidem è primordiis facilimè conjecturam licet facere, qualem & quantum deinceps Electorem nostrum habituri simus, si diutiùs vixerit, id quod precamur omnes, & tranquillæ senectutis limen attigerit.

Gratulatio ad Illustrissimum Principem JOHANNEM PHILIPPUM.

Supereft, auditores, ut ultimam opellæ meæ partem aggrediar, & Illustrissimo Principi Johanni Philippo, qui ad patriæ gubernacula sedere jam incipit, partim multiplicem felicitatem, & res, quibus affluit, secundas toto pectore gratuler, partim ardentissimis à DEO votis ea petam omnia, quæ & ipsius Celsitudini, & toti Reipubl. magno bono sunt futura.

O R A T I O

I. Quod civis Ecclesie verioris.

*Laert.
in vit.
Thalet.*

Socrates Philosophus, seu quod alii referunt, Thales Milesius, Diis agebat gratias, quod homo non bellua, quod Græcus non barbarus, quod Atheniensis non Megarensis, aut Thebanus, seu quod de Thalete, scribit Laertius, quod vir non mulier natus esset.

At verò longè plura sunt, & majora, quibus de Principi nostro gratulari possumus. Et quidem primò, quod in medio Ecclesie purioris gremio, & hanc ipsi aspiciere lucem, & hunc aerem haurire, & hanc insistere terram licuit, cuius politiae civem esse præcipua laus est, inquit Basiliius, (*in orat: de Martyr.*) & Ecclesiam qui non habet matrem, DEUM habere patrem nunquam poterit.

II. Quod

ORATIO

II. Quod natus è familiâ Saxonicâ.

DEinde quod originem duxit suam è familiâ Ducum Saxoniae, tot jam retrò seculis augustissimâ, regiâ, imperatoriâ, quem flosculum quendam delibatum & ex omni totius Europæ nobilitate decerptum si dicas, nihil aliud, quam quod ipsa erat dictura veritas, affirmabis. Et quidem Princeps noster (nec enim paternâ de stirpe plura, cum id olim factum hoc ipso de locô, jam afferemus) quartus est à Ferdinando Imperatore, & ab Annâ Jagellonia Vladislai Regis Hungariæ Filiâ, nepte Casimiri Poloni: quintus à Philippo Austriaco & Johannâ Hispaniarum Regina: sextus à Maximilianô primô, Cæsare Augusto, & Mariâ Burgundicâ, & Ferdinando Rege Castiliæ, quem dum nomino, quidquid Principum & Regum fuit in Hispaniâ, sub majoribus nostri Ducis commemoro. Septimus à Fridericô tertio

*Vid. op.
Basil.*

ORATIO.

Imperatore, & à Carolo Burgundo, quorum hic posterior omnem Galliaë nobilitatem familiaë Saxonicæ inserit, & quasi inoculari facit. Neque difficile mihi futurum erat, ex Anglis, Danis, Henetis, Bohemis & aliis quoque nationibus, si maternas ad scatebras sursum versus ascendere libeat, domum Saxoniam derivare. Nobilitas verò nequaquam inanis quædam est umbra sine corpore, aut nudum nomen sine ipsâ re, aut ovum Zephyrium & irritum sine generationis virtute, aut fumus sine flammâ, aut picta in parietibus nebula: sed & corporum formas, & certas membrorum notas, & animorum indolem generosam à parentibus multa per secula ad posteritatem propagari & quasi transfundi certum est.

III. De indole generosissimâ.

ET hæc ipsa quidem *et p̄via*, hæc naturalis solertia & alacritas, hæc ingenii mo-

derata.

ORATIO.

derata felicitas, & felix moderatio primis statim ab annis ita in nostro eluxit Principe, ut quidquid hactenus rerum necessariarum didicit, id non tam ab aliis accipere, quàm ex fœcundo quodam agro pectoris sui parere videretur. Præclare Seneca: *Epist. 96.*
Ut Dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorum est, esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea quæ tradi solent perveniunt sine longo magisterio, & honesta complectuntur cum primum audierunt: quæ ingenia rapacia virtutis, & ex se fertilia idem scitissimè nominat. Et contra sicuti qui spinas habet in pedibus, ubique spinas calcit, ita sterili ingenio omnis sterilis & aculeata quasi est materia, quamcunq; premere cæperit.

IV. De tutela & institutionis felicitate.

His accessit quartum DEI, & fortunæ melioris, si tamen aliquid fortuitum.



ORATIO.

est in rebus humanis, beneficium, quô de merito nostro cum Principe lætamur. Nimirum, & parentum diligentia & Tutorum fides summa, & Præceptorum vigilantia, & Ministrorum omnium sollicita cura, ut hæc tenella planta, cum adhuc gracilis esset virga, omnem ad virtutem, & ad disciplinas Principe dignas dirigeretur, nec ullum ad latus ab justâ rectitudine divergeret. Et certè vim educationis qui leve quiddam & nugatorium esse putant, illos rogatos volo, ut ob oculos sibi ponant duos illos Lycurgi catulos, qui licet iisdem essent editi parentibus, tamen institutionis diversitate ita dissimiles evaserant, ut alter ignavus & degener appositas in ollas culinarias, quib. assueverat, omisso lepore, qui emittebatur, irrueret, sed alter generosior, quẽ ad venatũ condocerat, nihil omnes æstimaret cupedias, sed ferã præcipiti cursu per æqua per iniqua sectaretur.

Plut: in La
con:
& instit:
liber:

V. De

O R A T I O.

*V. De aditu pacato & quieto ad
Rempublicam.*

Illud verò quantum gratulationis mereri
putamus, quod Princeps noster lætissi-
mis auspiciis Reipublicæ clavum tenere
cœpit, & successionis in principatu paterno
jure quàm optimo & tutissimo, & summâ
Tutoris Serenissimi voluntate, & Illustrissi-
morum Principum ac Ducum Saxoniae,
Juliae, Cliviae, ac Bergæ &c. Dn. Friderici, D.
Johannis V Vilhelmi, & Dn. Friderici V Vil-
helmi Fratrum Germanorum, (è quibus
Fridericus pauculos ante dies hac transi-
ens è longinquâ peregrinatione salvus in
patriam rediit, Princeps humanissimus)
singulari cum assensu, gaudiô, applausu,
& omnium cum subditorum fiducia & o-
bedientiâ paratissimâ, & totius viciniae ex-
pectatione mirifica.

VI. De

O R A T I O.

VI. De omine auspici matrimonii.

Laert.

NEc quisquam bonorum est his in ter-
ris, qui non precibus antevertat suis,
& animo præcipiat felicitatem illam mini-
mè dubiam & incertam ejus matrimonii,
quod Diis & hominibus approbantibus à
Principe nostro de *Pittaci* consilio cum
Principe nobilissimâ sui que similimâ con-
trahitur: cujus quidem gratulationem ita
plurimi meditabuntur, ut hac in lætitiâ
publicâ, quæ jam præ foribus, qui instar
cicadæ acanthiæ, & ranæ *Seriphæ* velit
obmutescere, is planè sit dignus, cui omnè
per vitam silentium *Pythagoricum*, seu po-
tius ignominiosum, turpe, elingue, bru-
tum imperetur.

Preces & Vota.

Sub finem hujus oratiunculæ, quidnam
precabimur nostro Principi, quidnam?

Per

ORATIO.

Per omnia bonorum genera si ire sigillatim velimus, opus ipsâ majus Iliade nasciturum erat: sed totam illam multitudinem copiam, & varietatem pauculis verbis, quæ Thaleti sapientis animi sunt indicium, unum in fasciculum redigemus.

Demosthenes interrogatus, quid esset primum in Eloquentia? respondit actionem: quid secundum? actionem: quid tertium? actionem: & sæpius quærenti nihil nisi actionem respondit: cum hujus in dignitate & elegantia vis omnis eloquentiæ ferè sit posita. Eundem ad modum, si quis ex me scire cupiat, quid Principi nostro cū bonis omnib. ego primo loco voveam? pietatem: quid secundo? pietatem: quid tertio? pietatem: quid universim? non nisi pietatem me optare dicam: non quod de hoc DEI amore & timore in nostro Principe dubitem: absit hoc, absit: aliud res ipsa loquitur, & experientia, quæ vel stultorum est Magistra, testatur: sed ut currentem incitem, & morem geram

Laert.

Cic. 3. de Orator.

Quint. Stil. l. II. cap. 3.

K

illis

O R A T I O.

5. Trist.
Eleg. 15.

illis Ovidii auro contra emendis versiculis:
Qui monet ut facias, quod jam facis, ille monendo

Laudat, & hortatu comprobatae sua.
Quid ita vero, quid ita? pietatem hinc, pietatem illic, si loqui more veterum mihi liceat? an tanti pietatem faciendam esse putabimus, ut vel sola nostro sit optanda Principi, vel certe loco primo statuenda? Aliud ubique locorum & summis, & mediis, & infimis videtur, qui pietatem nihil aliud, quam fel & amarorem quendam vitæ, quam tristitiam & melancholiam perpetuam, quam spem inanem, & somniorum similem, quam segnitiam & ignaviam quandam esse ducunt. Hoc verò dii prohibeant, ut verum esse fateamur. Quin potius si pietatem dicas, omnia dixeris, nec quidquam bonorum est, quod eius non contineatur ambitu, quod hujus reginæ non sit pedisequa, quod huic rerum omnium dominæ

non.

O R A T I O.

non ancilletur, Benè rem gerere publicam nemo potest sine precum assiduitate, cujus rei à Moysè nobis, & à Josaphato licet exempla capere. Et hæc quidem vota continua quid aliud quæso sunt, quam perpetuæ quædam coruscationes & fulgores inter atras tonitruorum nubes, longe lateq; suas per rimas emicantes.

*Exod. 17.
2. Par. 19*

Nemo sine DEI præsentia, qui & ædificat domum, & tuetur civitatem, & à quo patre luminum descendit omne donum perfectum.

Psa. 128.

Jacob. 1.

Psal. 34.

Hebræ. 1.

Dan. 10.

Zach. 3.

Nemo sine Angelorum custodia, qui spiritus administri malis cum geniis pro salute publicâ semper digladiantur.

Cic. 5.

de fin

Nemo sine prudentiâ, quæ ars est vivendi ut valetudinis medicina, nisi quis putare velit, sine frenis equos, sine temone currum, sine gubernaculo navim regi posse, & telis ac manibus plura, quam consiliis & auspiciis obtineri.

Tacit. li.

9. annal.



ORATIO.

Nemo sine amore subditorum, qui propè solus inter varias imperantium molestias, id quod grave reddit leviculum, & molle quod durum, & proclive quod arduum, & jucundum quod acerbum, & securum quod periculi plenum.

Esai. 1.

Nemo sine cura Religionis & Ecclesiarum, quæ solæ nobis semen sanctum relinquunt, aliàs Sodomæ & Gomorrhæ similib. futuris: modò caveatur, ne religio pariat divitias, & filia matrem devoret, aut ne calices sint aurei, & lignei sacerdotes.

*Martial.
lib. 8.
Epig. 56.*

Nemo sine scholarum ergasteriis, in quib. veram & sapientiã, & virtutẽ, & eloquentiã procudi & quasi cõflari scim⁹ omnes, & quæ certò perituræ, si desint Mecænates, qui Marones suscitent, si vocẽtur in contemptum si habeantur odio, si necessariam propter docendi & dicendi libertatem, uti quondã scholæ Pythagoricæ, hominum malè feriatorem calumniis, & injuriis deprimantur.

Nemo

O R A T I O

Nemo sine fide & iustitia, quæ si tollas, imperia nihil aliud nisi magna sunt latrocinia, nisi Cyclopum colluvies, nisi perjuria, nisi Megarica machinamenta.

*Aug. l. 4.
de civ. D.*

Infelix Rerum publicarum est gubernatio sine curâ, labore, & diligentia, quæ si flaccescere quasi incipiat & tabescere, Magistratus simul & horum imitatores subditiglires omninò somnolenti, & vitulimarini, & statuæ pilares, & *κῶφα πηγῶν* Comædiarum sunt fururi.

*Bud. l. 5.
de Ass.*

Infelix sine fortitudine & patientia, quibus absque virtutibus rem fulcire & sustentare velle publicam, quid aliud est quæso, quam cupere sine spinarum aculeis, & apicularum stimulis rosas decerpere & mel colligere, quam ex angusto ponte, si obvium habeas adversarium, subterlabentem in fluvium malle decidere, quam vel recedere, vel aliquantulum procumbere.

*Plin. l. 50
cap. 8.*

Infelix sine clementia, mansuetudine, & studio concordia, quibus à bellariis quasi

O R A T I O

& delinimentis si nudus & imparatus sit Princeps, non magis idoneus erit ad curam Reipublicæ, quam lupo ad ovilis custodiam, & accipiter ad columbarii tutelam, & ciconia ad defensionem ranarum, & vulpecula ad gallinariorum protectionem.

Infelix sine justâ severitate cum pace tum bello, quâ semper opus, ut emendantur illi, qui peccarunt, si spes emendationis sit reliqua: ut legibus ac magistratui, & parti læsæ suus honor, & quidquid ablatum, restituatur: ut deniq; paucorum supplicia multorum sint terriculamenta:

Gell. 1.6.

cap. 14.

Ovid. 3.

Metam.

Semel immedicabile vulnus. (tur.

Ense recidendum est, ne pars sincera traha-

Herod.

lib. 3.

Infelix sine æquitate in accipiendo, & in dando liberalitate, cum optimi Principum illi sint, non qui subditorum Domini & tyranni, uti Cambyfes, quod Persæ dicebant, nec qui institores & quæstores, ut Darius Histaspis Filius: sed qui patriæ

patres

O R A T I O

patres, & pastores civium suorum, uti Cyrus, & qui potius salutem populi sibi curæ esse patiuntur, quam suas rapinas, suam faciendi licentiam quidquid libeat, suas profusiones & voluptates.

*Sueton.
in Tiber.*

Gravissimè periclitantur Respublicæ, si sit absque imperantium sobrietate, temperantiâ, & castitate: cum anima sapiens non nisi in sicco habitat: cum vinum, ebrietas, & fornicatio cor auferant, & mare quoddam mortuum immenso cum bituminis fœtore ex amœnissimis Palæstinæ hortis & Paradisis efficiant.

Osee 4.

Gravissimè periclitantur, si sit absque modestiâ & animi demissione, sive cum DEO, sive cum hominibus & superioribus, & paribus, & inferioribus agendum sit. Spicæ, steriles & inanes quæ sunt, eriguntur, sed plenæ granorum terram versus declinant. Et superbis resistit DEUS, eosque cum Nabuchdonosore castigare potest &

*Plut. de
profect.
in virtu.
1. Pet. 5.
Dan. 5.*

deji-

O R A T I O

Herod.
lib. 7.

de jicere haud aliter, quam lapsu fulminum grandia ferri animalia, & montes tremefieri, & turres everti videmus. Nec ullum gen^o hominum facilius omniū odiis, quam insolens, elatum, & fastuosum conflagrat.

lib. 8.
lib. 9.

Gravissimè periclitantur, si absq; Principum auctoritate sit & observantiâ, quæ si & exoleat apud subditos, & apud externos vilescere incipiat, tum ne ipsa quidē salus, ut maximè velit, Reip. saluti esse potest. Majestas imperii salutis est tutela, inquit Curtius, & ut bella, sic & Reip. gubernatio famā constat, & singularis DEI pœna est, & secutura πανολεθρίας indicium minimè fallax, si contemptus super Principes effundatur.

Job. 12.

Gravissimè periclitantur, si sit absq; humanitate & affabilitate Principum, quæ una dici non potest, quantum benevolentiae & amoris iis, qui cum imperio sunt, cōciliet: præsertim si pœnarum acerbicatem more Norib. verborū lenitate mitigare possint.

quod

O R A T I O.

quod Antonius Tucherus vocabatur,
Gute Wort / vnd harte Straffe.
*Vir justus & humanus pecudis quoq; sua mi-
seretur*, inquit Salomon in Proverbiis:
quidni Princeps subditos benignè habere
debeat?

Gravissimè periclitantur, si sit absque
superiorum certâ salute & securitate, cum
ad res præclaras & arduas animum suum
erigere nemo possit, qui metu perpetuò,
vel suspensi à setâ equinâ gladii cum Da-
mocle, vel rupis jam lapsuræ cum Tantalò
trepidat, pallefcit, exanimatur.

Gravissimè periclitantur, si sit absque
civiũ probitate & obedientiâ ad ea omnia,
quæ virtute honesta, factu decora, difficul-
tate superabilia, usu necessaria: cum salus
publica non tam in moderato Principum
imperio, quam in quieto subditorum ob-
sequio consistat.

Gravissimè periclitantur si sit absque

*Johann.
Agricol.
proverb.
Germa.
217.
Cap. 12.*

5. Tuscul.

4. Tusc.

L

Matri

O R A T I O.

Matrimoniis Principum felicioribus qua
tranquillitatem, quâ fecunditatem, qua-
rum hæc parentibus auctoritatem, grati-
am, immunitatem à periculis, & totius
Reipublicæ quietem parit, servat, tuetur:
illa verò per curiositatem muliercularum,
res non molitur novas, nec maritum cum
3 Reg. 16 Achabo ad impietatem & tyrannidem a-
vocare, ad πολυπραγμοσύνην abstrahere, ad suã
& aliorum ad perniciem abripere conatur.

Deniq; nemo (tandem enim ad finem
me oportet festinare) in administratione
Reipublicæ operæ precium facere potest,
nisi cui præter rei scientiam & virtutem et-
iam felicitas & auctoritas, quod Ciceronis
præclarum est acroama in oratione pro L.
Manilia contigerit: & hæc ipsa quidem
sæpè causas habent occultas, neque sem-
per magnorum quoque virorum ingeniis
& industriæ respondent.

Hæc igitur tot & tanta bonorum ge-

nera,

O R A T I O

nera, quibus opus Magistratui unde quæ-
so proficiscuntur, unde originem ducunt
suam, unde primordia capiunt? Certè non
aliunde nisi ab unâ *pietate, qua sola utilis*
est ad omnia, habens promissionem presentis
& futurae vite.

1. Tim. 4.

Hæc una instar habet nubis gravidæ,
quæ pluvias salutare & imbres fœcundos
in omnem hominum vitam demittit. Hæc
una in morem fontis limpidissimi omni-
um virtutum & rerum secundarum rivulos
salientes effundit & dispergit. Hæc una
profundæ radicis ad exemplum omnium
bonorum surculis & ramusculis fruticatur:
quod innumeris sacrarum literarum testi-
moniis, si tempus ferret demonstrare faci-
limè poteramus.

Dum itaque Principi nostro pietatem
& morum suo cum Tutore similitudinem
optamus, ea simul omnia precamur bo-
na, quæ cælum mittit, quæ aer depluit,



O R A T I O .

quæ terra parturit, quæ aqua fundit: tum
verò, ut ea quæ homini propiora attinga-
mus, quæ animorum dotes sunt, quæ cor-
porum vires & dignitates, quæ fortunæ
munera, & quasi missilia: & nominatim,
quidem à DEO, *qui nostra Spes, nostra
Via, nostra Vita, nostra Salus*, petimus, ut
Illustrissimo Juveni, qui jam ventis & flu-
ctibus publicæ gubernationis patriæ no-
stræ cimbulam committit, & in altum pro-
vehitur, benignè largiatur res in hujus of-
ficii gravissimi laboribus faciles & secun-
das, Celsissimorum Fratrum, & totius fami-
liæ salutem, incrementum, perpetuita-
tem, Ecclesiæ veritatem & concordiam,
Reipublicæ pacem & quietem, & denique
faciat, ut Princeps noster multos per an-
nos virtute & felicitate suâ omnia mayo-
rum laudatissimorum cognomena & or-
namenta, quæ à pietate, à sapientiâ, à con-
stantiâ, à patientiâ, à magnanimitate,
à forti-

ORATIO.

à fortitudine bellicâ, à gravitate, ab humanitate, à moderatione & ab æquiore fortunâ ducta, non tantum mereatur ipse, & quasi baccas ac gemmulas purissimas unum in monile, & unam in auri murenulam colligat, apteque disponat, sed etiam illibata & multis aucta nominibus ad omnem usque posteritatem transmittat.

Conclusio quæ Paraphrasis Psalmi XX.

Sed Sacer ille DEI pia jam mihi carmina flatus
Dictat Jessæ scatebris manantia vatis.
Aure tuas Princeps bipatente PHILIPPE JOHANNES
Excipiat DEUS ille preces, & utrumque corusci
Muniat ære latus clypei, quem sacra Jacobi
Progenies patrio veneratur honore: pavescas
Si varios inter casus, & plurima rerum,
Quæ rapido fortuna levis discrimina miscet
Turbine. Puratibi Solymæ sacraria mittant,
Quam rogitas, properante ropem, r oburq; ministrent
Inclyta magnanimæ delubra Sionis: amico
Lumine suscipiat libamina thurea, festas

O R A T I O

Ipse pater superum, quæfers operatus ad aras,
Et quæ sacrificis adoles pinguentia coram,
Exta focus, tremulisque cremas redolentia flammis.

Ille tibi meliora tuis & plura benignâ
Suppeditet votis dextrâ, placidusque secundet
Consilii benè coepta tui conamina: nunquam
Spes fido suffulta DEO fallitur. Ovantes
Plaudimus, & lato semper modulabimur ore
Auxilii documenta tui. Te signa procaces
Auspice furrigimus latis volitantia campis,
Et ferimus medios pectus fidenter in hostes,
Quæ cupis à superis capis omnia victor, & altis
Arma cruore fluens suffigis opima tropæis.
Nunc scio, nec deinceps mea me sententia faller,
Quod Regem liquido quem mitis inunxit olivo
Ipse DEUS præsens juvet auxiliaribus armis,
Tendentemque manus tumidis è gurgitis imi
Fluctibus eripiat, stolidæque furentia turmæ
Agmina prosternens mediâ proculcet arenâ.
Crudus Arabs, vecors Amonita, Syrusque rebellis
Et maris ad littus qui vim meditatur, & artes
Multiplices Phœnix, & divitis accola Nili
Quadrupedantis equi fodiant calcaribus armos,
Falcatisque ruant in curribus ocyus Euris,
Ocyus & Zephyris, & fulminis ocyus alis,
Et vanis terrasque minis cœlumque laceffant,
Spirantes subitos patulis è naribus ignes
Non tamen est gelido quod nostra pavore labascant

Pectora.

O R A T I O.

Pectora. State viri, precibus pugnate: fugaces
Pellemus veluti pecudes, ferroque metemus
Turbam quæ bibulas rubri maris æquat arenas.
Terra madet, tantisque pavet constrata ruinis,
Carnivoris præbens gratas animantibus, urfis
Obscænisque lupis fædisque volucris escas.
Stare licet recto nobis & tundere talo
Morigeram constanter humum: neque tollere vultus
Nos pavidos contra poterit gens impia, quamvis
Ex imò cieat lemures Acheronte vocatos,
Non opis hæc nostræ scimus victoria: summi
Sed genitoris opus, sed honos, sed gloria. Nostro
Rex ò magne tuam Regi, potes omnia, solus,
Affer opem, querulisque citò bonus annue votis.

F I N I S.



215

O R A T I O

171
648

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



20



Faint, illegible text visible on the left edge of the page, likely bleed-through from the reverse side.

ULB Halle 3
004 973 453



1077





Qh. 31, 4.



OR A
 IN ILLUS
 & Celsiss. Pri
 DN. JOH
 PHILIP
 Saxonix, Julia,
 Landgravii Thuring
 niæ, Comitum Marchæ
 Ravensteinii, &c. honore
 rem adiret publicam, su
 scripta, & in Aca
 Aprilis, A
 reci

WOLFGANG
 J E
 LITERIS W

